



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 86. Proxima Regis profectio in Italiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

## §. LXXXVI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1494.*Proxima Regis profectio in  
Italiam.*

Verum nec comperta Pontificis mutatio, nec Ducis ac Borbonii Ducissæ suasiones, nec satis dubia fides de Ludovici sinceritate, nec Florentinorum Gallicis favere recusantium repulsa Carolum a proposito dimovere poterant: quocirca Urseo supremo regii stabuli Præfecto negotium dedit, ut classem instrui juberet, quamvis ipse rei navalis scientia omnino expertus esset. Demum hujus classis optime instructæ imperium detulit Aurelianensi Duci, Viro quidem magnanimo, sed qui non nisi a remotis Britannæ oris conspectum maris subibat. Nilominus Rex huic Ducem itineris sui socium selegit, veritus, ne se absente regnum turbaret. Ceterum Borbonii Ducissa, Cordæus Marescallus, aliique Proceres, cum Regem a superandis alpiibus avertere desperarent, eidem persuadere tentabant, ut saltem armorum suorum cursum ultra Mediolanensem Ducatum non protenderet; eo quod hæc ditio, cum haud dubio jure Aurelianensis Ducis esset, honestissimum ei suppeditaret prætextum, ut illam invadere, eaque occupata victoriis suis metam

*Hist. Eccles. Tom. XXX.*      O o    po-

Sæcul. XV.  
A.C. 1494.

ponere posset. Verum Carolus fidei Ludovico datæ tenacissimus, ineunte Mense Julio unacum Coniuge Regina discessit, Lugdunum petiturus, quam urbem copiis in unum conducendis præscripserat, ut quo proximior, eo expeditior mandata pro suscipienda expeditione dare valeret.

## §. LXXXVII.

*Rex Lugduno Gratianopolim profectus.*

*Comm. l. 7 c. 4*  
*Albinus de*  
*bello Gallico*  
*lib. 6.*  
*Baudricourt.*

Priusquam discederet, Rex providis consiliis Franciæ salutis consuluit; itaque Borbonii Ducem Pro-Regem constituit, suprema totius Regni procuratione eidem demandata; postea Baldricurtium Burgundiæ, Orvalium vero Campaniæ, ac demum Gravillam Admiralem Normanniæ, ac Picardiæ Præfectum nominavit, Avaugurio & Rohano ad Britanniæ imperium selectis: Cum vero pestilentia metus Lugdunensem urbem minus tutam redderet, Rex primo Vienne, inde Gratianopolim contendit, ubi de primis armorum auspiciis consilia agitabantur; interea Aurelianensi Duci ex Genuensi urbe nunciatum est, triremes, ceterasque classis naves brevi ad vela danda paratas fore; ille igitur nullius